

1.

Animadversiones
de
GUSTU
in Artibus Elegantioribus.

Venia Ampl. Fac. Phil. Ab.

Publicæ censure submitunt

GEORG. FRANC. TITHELMAN;

Phil. Mag.

et

NICOLAUS MAGNUS TOLPO,

Stip. Reg.,

Borea-Fennones.

In Audit. Maj. die VI. Nov. An. MDCCXC.

ABOÆ, Typis Frenckellianis.

64

*Omnes tacito quodam sensu sine ulla arte, aut ratione,
que sint in artibus ac rationibus recta, ac prava dijudi-
cant.*

CICERO.



§. I.

Ut sæpe in plerisque aliis, quæ in ore vulgi versantur rebus diligentius exquirendis, ita sæpissime in vera pulcri tot tantisque laudibus per orbem celebrati notione accuratius investiganda & explicanda, mire obtunditur mentis humanæ sagacitas. Solenne est ea, quæ delectationem pariunt pulcra dicere. Atqui non omne id quod delectat, proprie pulcrum. Moris quoque est, quicquid vocatur perfectum, pulcri nomine comprehendere. Sed interna corporis humani structura plurimum quidem habet perfectionis, cui tamen pulcritudinem haud tribuimus. In usu porro est ea quæ utilia sunt pulcra appellare. At hæc

A

quo-

quoque definitio nimis pinguis. Verum singula philosophorum de vera pulcritudinis notione iudicia commemorare, meum non est: sufficiat monuisse, quod inter plurimos, qui in hac re elaborarunt in confesso est, nullum opus proprie esse pulcrum, cui varietas prorsus desit, in qua tamen simul insit unitas; quibus dein si quid perfecti accedat atque boni, summam oriri pulcritudinem omnes fatentur.

Omne autem pulcrum a turpi, sensu quodam felici ac prompto discernere, & pro suo quodque merito æstimare *Gustus* (quem vocamus) est officium; cuius penitus expertem neminem esse mortalium, inter omnes constat: licet cæterum & forma & gradu in variis vehementer varii. Ad sensus enim pulcri acumen, naturæ felicitas vim affert maximam. Sed ut hæc sola nihil perfecti efficere solet, sic etiam *Gustus* nisi diligentia quædam, cultura atque assuefactio accedat, rudis manet & imperfectus, immo sæpe prorsus fere emoritur.

§. II.

Insignem autem fructuum ex boni *Gustus* flore, ad rempublicam redundantium ubertatem, gravemque



que eorum utilitatem atque jucunditatem, merito videas celebrari. Est nempe hic, qui homines, ad oblectationes nobiles præstantiaque naturæ humanæ dignas vividius percipiendas aptos reddit atque pronos. Hic est, qui ad superiores mentis vires prospere excolendas, nos quasi præparat, mores efficit humaniores & suaviores, arctioremque inter cives conjunctionem vehementer gignit, alit, confirmat. Hic ad plurimarum scientiarum lumen augendum & latius diffundendum operam confert efficacissimam. Hic in eximiis Artium Elegantiorum operibus perficiendis, tantum habet momenti, ut sine hoc, omni fere in animos hominum agendi vi spoliata jacerent. Hic leve atque imperitum vulgus, ad consilia sapientiorum comprobanda paratius præstat. Hic denique reipublicæ grandem largitur gloriam, uberioresque divitiarum fontes benigne aperit.

§. III.

Hanc tamen egregiam adeo facultatem reperti sunt, qui iniquo fugillarent animo: felicitati nempe humanæ adversari, perfectionem ejus minus beneficam esse mortalibus, ac eam inprimis partem, quæ

defectus, nævos & vitia in Artium quarumcunque operibus acute sentire ac promte detegere valet, infauftam esse miseramque dotem, utpote quæ voluptates nostras minuat, tædia vero augeat, contenderunt. Quorum ratio si valeret, a flore Artium Elegantiorum promovendo sapientes abstinere omnino deberent. Fieri enim non potest, ut in operibus suis egregiæ pulcritudinis laudem attingat artifex, vel ad majorem majoremque Artis perfectionem ac tandem ejus fastigium perveniat, nisi ipse pulcri & turpis sensu afficiatur vivido, nisi pulcro vehementer delectetur, turpi offendatur, eaque re ad illud gignendum, hoc fugiendum valide impellatur. An qui pulcrum vivide sentit, turpi vehementer non lædetur? Ac quomodo ab hoc promte quasi resiliat & sollicitè sibi cavebit, qui tædio illius tarde agniti, nonnisi frigide & languide afficitur? Quo ipso tamen nimis mollem ac fastidiosum quorundam Gustum, qui veris ejus legibus non paret, haud laudamus; de quo infra.

§. IV.

Sequitur ut aliam objectionem, contra boni Gustus laudem studiumque eum excolendi afferri solitam,

tam, ablegemus; quæ magno vulgi consensu crepari solet. Nempe plurimorum ex sententia de Gustu non est disputandum; siquidem experientia teste quam maxime sit varius. Quæ alii in pulcris ponunt, eadem uti turpia, alii rejiciunt. Quod igitur jus alteri competit alterius Gustum reprehendendi? Nonne omnis humana certitudo destruitur, si cuivis licet ex principiis rationis de sensationibus aliorum dijudicare? - - Egregiam vero argumentandi rationem! - - Negari quidem nequit, Gustum omni ævo fuisse varium. Unde tamen nimis præcipitanter concluditur, principia ejus esse incerta atque instabilia. Quo quidem modo nec firma esset virtutis & veritatis notio; quippe quæ hominibus, ætate, loco, cæt., diversis, sæpissime admodum varia visa fuit. Sed quæras, quæ igitur ratione ægrotans Gustus, a sano recte possit discerni? Ne hæc quidem disquisitio valde erit difficilis. Nota atque extra controversiam posita res est, mortales inter se in multis licet dissimiles, communi tamen naturæ suæ obsequi solere. Quæ etiam causa est, cur mirum nobis non minus quam admodum ingratum obveniat, ubi aliquem a communi generis nostri indole, vel corporis vel animi specie differen-

tem, deprehendamus. Quod idem fit in pulcri sensu; ita ut cuicumque ea tanquam turpia rejicienti, quæ universi generis humani, (sapientioris saltem ejus partis) consentiente experientia, in pulcris ponantur, & contra, corrupti gustus nota communiter inuratur. Quod autem nihilominus Gustus varietatem diversis temporibus ac in diversis populis non levem reperimus, nihil nostræ obstat sententiæ. Ut enim taceamus, falsum haud raro Gustum non singulis modo hominibus, sed totis nonnunquam nationibus imposuisse, opinionibus fucatis & præjudiciorum contagione deceptis; sanus etiam ille, salva licet sua veritate, diversitatem omnem haud excludit, sed quæ non impedit, quominus immotis & communibus principiis nitatur. Varii admodum sunt diversorum hominum atque populorum situs, mores, quæstus &c.; ut non possit hinc omnimode idem semper omnibus placere. Varii sunt rerum quarumlibet respectus, atque quasi facies, quæ diversis hominibus, diverso e loco, diverso consilio, diversa diligentia, eas spectantibus, non possunt semper plane eadem obvenire: in qua tamen omni varietate, minime necesse est falsitatem inesse. Potest itaque recte placere alteri,
quod

quod displicet alteri, neutro tamen boni Gustus regulis universalibus repugnante. Sic aliam pulcritudinem Musicus, aliam Pictor spectat, quin diversam diversæ Pictorum scholæ maxime sectantur: veri tamen pulcri omnes amore feruntur, licet alii parti, alius magis, mentem intendat. Alter Poëta sublimi genere magis, alter faceto delectatur; ut alius alio instrumento Musicus: quorum tamen ideo nemo dixerit Gustum esse spurium. Nempe omnes hi, generalem eandem simul pulcri notionem adoptant, ejusque regulis sensum suum dirigi patiuntur. Qualem in physico etiam gustu varietatem inter homines observare licet, quem minime sibi mutuo exprobrant; quamvis eundem aliquando corrumpi morbis & prava assuetudine, simul haud nesciant. Gradus tandem varii cognitionis & culturæ, in hominibus & populis diversis, non minus quam gradus diversi pulcritudinis & deformitatis, de qua ferunt arbitrium, sensus atque judicia varia admodum sæpe gignunt, quibus tamen generalia boni Gustus principia non læduntur. Debet enim quod placebit, sensui atque menti cujusque esse quodammodo familiare, ut habeant quod percipiant, quoque vividius feriantur. Nec quod mi-

nus

nus pulcrum est, (quo autem pulcarius aliud mirari homo quidam non didicit), pro turpi aut deformi statim declarandum est, ne ab eo quidem, qui gustu multo exquisitiore atque exercitatioe ipse pollet. Multa præterea, quæ pulcra habentur aut turpia, non tam naturæ quam consuetudinis legibus talia censentur. Unde conventionalem quendam Gustum potius oriri, quam certum & naturalem, viri docti observant. Qualis circa res vel indifferentes vel leviores plerumque versatur, nec ad nostram pertinet disputationem. Ille autem verus ac constans, principio certo & obvio nixus, naturæ nempe communis veritati & constantiæ, ad quam diligenter & perpetuo est exigendus, hinc vagus aut sibi contrarius esse minime potest. Quamobrem idem plerisque omnis ævi, omnisque conditionis & ordinis hominibus, non plane barbaris, stupidis aut corruptis, placuit ac placet.

§. V.

Ansam rursus hinc acceperunt nonnulli, Gustum hunc præclarum naturæ dono totum ita adscribendi, ut a diligentia & exercitatione nihil omnino illum pen-

pendere, sed nobiscum nasci, ac felicium quorundam ingeniorum esse quasi peculium quoddam & privilegium, contenderent. Quorum error vel ex supra dictis fatis dispalescit. Prima quidem ejus elementa, ut omnium præstantium animi facultatum, naturæ beneficio utique debemus. Sed alitur deinde hæc in-
 doles, præclaris tum naturæ tum artis operibus atque pulcri exemplis spectandis & diligenter considerandis; quæ exprimere atque imitari artifex assidue & studiose debet. Quare videmus in populis eum præcipue illis excellere, quibus horum copia maxime contigit; atque societate & conversatione hominum ingeniosorum atque acutorum, qui naturales suas dotes diligenter excoluerunt, inprimis acui, perfici & quasi formari.

§. VI.

Præstantiam porro atque laudes egregiæ hujus facultatis propius contemplaturi, tribus illam inprimis dotibus eminere atque a philosophis commendari invenimus, qui Artium Elegantiorum principia & leges diligentius examinare instituerunt: excitata nempe

pe quadam & prompta sentiendi *facilitate* ac *teneritudine* (Gallis *sensibilité du Gout*), qua pulcri cujusvis vel turpis observati sensu mox afficimur vividiore; culta quadam & eleganti *subtilitate* (*raffinement du Gout*), quæ pulcritudinis vitiique cujusvis, etiam illius quæ oculo mentique minus perspicaci facile sese subducit, speciem acute cernit, eoque quod in genere quovis inprimis excellit, maxime delectatur, illudque inprimis quærit & sectatur; ac diligenti tandem & accurata *veritate* (*justesse du Gout*), ita ut non inanibus simulacris falsaque imagine deludamur, sed rerum indoli convenienter eas æstimemus. Addunt etiam quarto loco, ut omnes hujus facultatis quasi elementa & dotes modo quodam atque *ratione justa* inter se sociatæ sint ac quasi *temperatæ*. Quæ singula paulo diligentius sunt consideranda.

§. VII.

Primo igitur sensus illam *teneritudinem* atque *vividitatem* cujus mentionem fecimus, in eximio Gustu maxime necessariam esse, ex ipsa notione Gustus communiter jam adoptata, apparet. Nam is a distincto
pul-

pulcri turpisque iudicio hac re inprimis fecernitur, quod non ratiociniis, natura sua tardioribus atque angustioris ambitus nitatur, sed ex specie confuse objecta, voluptatem vel tædium vivide excitante, pendeat. Quod genus felicitatis iudicii, ubi ad habitum perductum est, tum demum præclari Gustus laus gignitur. Nisi itaque natura homo fuerit teneriori, leviores etiam rerum impressiones sentiente, quam exhibitum pulcri vel turpis spectaculum facile moveat, sensuque sui mox afficiat acriore, ad hanc laudem ægre pertinet. Ingenia ignava, languida, torpida, neque pulcro celeriter vehementerque delectabuntur, neque turpi offendentur; utrumque frigide spectabunt, parum vel illud æstimantes, vel hoc refugientes. Qualis stupor aut torpor, a vero ingenio æsthetico, eo est alienior, quo certius constat, cordis humani tangendi facultatem inter præcipuos esse voluptatis elegantis atque laudatissimæ fontes. Quod enim de dramatis monuit HORATIUS, illud latius etiam patet atque ad omnia opera Artium Elegantiorum suo modo pertinet:

Non satis est pulcra esse poemata; dulcia sunt (*).

B 2

Du-

(*) *Art. Poët. v. 99.*

Dubium autem non est, quin hanc naturæ indolem facile mobilem, usus & exercitatio quædam magno-
 pere augeat, sensumque nostrum molliorem fingat. Nempe si attentio nostra studiose ad pulcritudinem vel deformitatem rerum spectandam, acutius animad-
 vertendam, & facilius percipiendam, sensim adduca-
 tur, ut speciem alterutram clare ibi observet, ubi ni-
 hil antea distinxerit; si alias cum iis connectere atque
 iis associare ideas vividas sensusque indies plures gra-
 tos ingratosve, didicerit; & sic porro. Hinc mirum
 non est, si per assiduam pulcerrimorum operum con-
 templationem, atque consuetudinem inde delectatio-
 nem capiendi, & amor illorum & hæc ipsa voluptas
 crescat, & facultas ea censendi atque pretium sensu
 ipso mox dijudicandi atque definiendi, augeatur.

Sensus igitur nostri felix hæc celeritas atque te-
 neritudo, licet tam magnas in egregio Gustu consti-
 tuendo partes agat, adeo tamen cognitionem locuple-
 tem pulcri atque deformis non excludit, ut potius illam & præsupponat & simul ipsa complectatur. Cu-
 jus etiam cognitionis explicatio distincta, quamvis
 ad illius laudem necessaria non sit, neque omnes ejus
 leges

leges plene evolvere unquam valeat, minime tamen ei nocere existimanda est, sed ad illum magis confirmandum, ab erroribus defendendum & revocandum, vehementer prodest. Unde scientia *Criticæ* sive latius adhuc patens *Æstheticæ*, enata est.

§. VIII.

Quo tamen proprie non spectat ea eximii Gustus virtus, quam secundo loco laudavimus; nempe *subtilitas* illa iudicii de pulcri turpisque specie atque forma, latentes etiam illius veneres investigans ac discernens, nec facile nisi perfecta summaque ejus laude contenta, vitia vero etiam vulgo minus obvia detegens & reprobans. Cognitionem quidem locupletem pulcri atque deformis illa quoque fundamenti quasi loco præsupponit; quæ tamen ut distincta atque explicata sit, neque hic necesse est. Præstat vero illa, ut præstantis pulcritudinis rebus impensius delectemur; sed ut difficilius nobis ab Artis magistris, nisi summis, satisfiat, simul efficit. Quo magis opera eximiæ præstantiæ æstimare didicerimus, iisque admirandis adfueverimus, eo minus nobis res minoris pulcritudinis & pretii placent; aliquid ultra optamus.

Quo autem nobis amplioſem & perfectioſem pulcſi notionem acquiſiverimus, quo ſubtilius ejus judicium uſu atque exercitatione & maxime comparatione pulcſiorum operum nobis cognitorum, reddere valueſimus; eo ſeverius exercemus arbitrium, eo oculatius vitia & defectus in mediocribus Artis conatibus detegimus. Hæc facultas, ut ad perfectioſa, ut ad ſumma jugiter tendant, artifices impellit; nec ut in mediocribus ſubſiſtant, illis permittit. Hæc ad majora quoque & magis compoſita atque quaſi complicata Artis feliciſa opera, ad quæ vulgariſa acies caligat & quibus mens imperitioſa obruitur, dijudicanda, cenſenda & ſvavi ſenſu approbanda, fatiſ reddit acutoſ atque idoneoſ. Hæc tandem ad ideam quandaſ ſummæ perfectioniſ ſibi ſingendam animo� artificum attollit; quam licet in operibus ſuiſ plene attingere nunquam valeant, diligentiffime tamen ſemper perfequuntur, eoque conatu ad eam propiſ propiſque appropinquant. Facile patet, quanto ſtudio, quam ampla Artiſ ſuæ cognitione, quanto uſu, ad hanc virtutem acquirendam opus ſit. In qua tamen ſectanda, ut in illa etiam quam mox laudavimus pulcſi turpiſque celeriter vivideque ſentiendi pronitate excolenda, ne juſtoſ trans-

transeamus limites cavendum est. Quod qui negligunt, in Gustum justo molliorem nimisque fastidiosum facile incidunt, a corruptionis contagio minime immunem. Hoc vero vitio laborant, qui ad veram operis alicujus pulcritudinem parum attendentes, non nisi elegantias reconditas atque a communi sensu remotas, (sæpe illas fictas atque commentitias) venantur; qui parvis maculis,

- - Quas aut incuria fudit

Aut humana parum cavit natura - - - (*)

vehementer adeo offenduntur, ut veras magnasque operis laudes non cernant aut sentiant, vanaque affectatione capti regiam naturæ viam facile deserant & ad putidas tricas ineptiasque delabantur. Hi pulcritudinem, delectationem & voluptatem, aut solam aut maxime, iis quoque in rebus quærunt & spectant, quæ aliis inprimis laudibus censerentur debent, v. gr. perfectione, utilitate, necessitate. Horum Gustus sæpe in acumen falsum, argutias & cavillationes ita abit, ut fontes voluptatis & suæ & aliorum limpidissimos intemperie hac sua inquinare studeant. Contra quem

mor-

(*) HORATIUS *De Art. Poët.* vs. 352, 353.

morbum, veri fanique Gustus amici acriter constanterque pugnant, non magis probandum, quam eorum stultitia, qui luxuriæ studio physicum suum gustum ita corruperunt, ut famem sibi subeundam putent, ubi cupediæ & exquisitissimæ non obveniant deliciæ. Hujusmodi autem hominum fastidium, ad exquisiti verique Gustus laudem minuendam non magis valet, vel ad felicitatem iis majorem, qui hebeti languidoque pulcri sensu laborant, tribuendam, quam feliciorum reliquis hominibus fuisse aut illum judicare licet, qui ranæ clamorem luscinia cantui prætulit, aut cui tympani strepitus omnium aliorum instrumentorum musicorum concentu jucundior videbatur (*). Nec debet idcirco suæ facultatis eos poenitere, qui pulcrum a turpi feliciter discernere, ac qui, quo pulcrior res quæque sit, eo illa frui exquisitiori suaviorique sensu, valent.

§. IX.

Maximi porro momenti in præclari Gustus laude efficienda merito existimatur, ut a *veritate* naturæque

(*) Vid. JOH. ULR. KÖNIG *Untersuch. von dem guten Geschmack* 2c. (comment. adjecti edit. suæ *Carminum L. B. DE CANITZ*, Berl. 1765, 8:o) p. 454.

que incorrupta regula haud dissentiat, sed accurate amiceque cum ea ubique concinat. Hac dote caveatur, ne mentita fucataque pulcri specie decipiamur, neve temere, quæ vera vitia non sint, levibus inducti opinionibus damnemus. Hæc, ubi legibus suis severe obtemperamus, Gustus corruptioni tutissimum ponit obicem, atque nuper commendatas a nobis alias laudes intra justos continere limites docet. Quamobrem natura ejusque more diligenter consulendo, exprimendo & imitando, judicio studiose excolendo, atque Critices etiam ope sollicitate adhibendo, illam facultatem limare atque perpolire oportet. Tum demum firmam vim mens acquirat inter extrema illa vero Gustui inimica, media semper via tute procedendi; tum diligenter, quid cuique rei, personæ, tempori, locoque conveniat discernere poterit; tum gradum vel approbationis vel displicentiæ operi cuique a se tribuendæ acute atque accurate definire valebit. Cavendum autem est, ne hoc veri ubique sectandi studium in nimiam sollicitudinem & timiditatem ac quasi superstitionem quandam abeat, quæ vincula atque compedes ingenio impingat, libertatem nova eximiaque audendi cohibeat, mentisque divi-

nioris volatum temere ac anxie impediat, Gustum tandem gignens minutum atque fervilem, non minus fere incrementis ac laudi Artium adversum, quam Gustum illum falsum atque corruptum. Hoc vitio qui laborant, diligentiam & industriam ingenii locum tueri posse putant, & mediocria opera, præstantissimis sæpe anteponunt; ad rudem eorum Gustum, qui valde obtuse de hujusmodi rebus judicant & a quorum judicio maxime sese removere student, ita sensim accedentes.

§. X.

Justam tandem *proportionem* inter illa elementa dotesque, quæ ad Gustum egregium efficiendum pertinent, necessariam esse, ut laudes suas obtinere atque tueri possit, recte monetur. Non modo sensus illa teneritas, judicii exquisita sagacitas, summa quævis venans, verique unice amandi & æstimandi diligentia, ita sociatæ atque amice conjunctæ & consentientes esse debent, ut alia aliam non opprimat aut ullo modo ei noceat; sed animi etiam facultatum (imo sensuum quoque corporis) indoles universa, partiumque, quibus hæ constant, talis sit oportet,

ut



)

(



ut nihil magnopere in iis aut deficiat aut red-
undet. Composita enim quædam atque ex pluribus
dotibus conflata est boni Gustus facultas: quæ sana
salvaque manere nequit, si vel sensuum acies, vel
phantasiæ ignis, vel motuum animi vehementia, vel
iudicii acumen & subtilitas, ita una dominetur, ut
suum reliquis vigorem adimat; vel si aut novitatis
gratia, aut magnitudinis sublimitatisque admiratio,
aut pulcritudinis venustatisque species & suavitas,
cæt., ita mentem sola occupet atque ad se rapiat, ut
aditum ad illam oblectandam reliquis prorsus occlu-
dat. Imperfectus quidam, mancus, iniquus, & quasi
factiosus Gustus inde enascitur, qui æquum omni
pulcro jus pro merito non tribuit, ineptum reddens
hominem ad opera artis quæcunque sincere iudicio-
que a partium studio alieno, æstimanda. Quam fa-
cilis hinc ad Gustus non modo miram diversitatem,
sed etiam corruptionem, via pateat, cuique in aper-
to est. Igitur præclaras animi dotes singulas, nulla
temere neglecta, homo Gustus veri præclarique stu-
diosus, excolere nitatur: cui eidem fini attingendo
moralium etiam virtutum studium magnam adfert o-
pem. Atque ut in opere quocunque Artis dijudican-
do,



)

20

(



do, non unius tantum generis virtutes aut unius generis vitia ponderat, ita honestatis utilitatisque rationem minime totam abjiciat. Ad omne vero hoc consilium feliciter persequendum virorum etiam doctissimorum, qui veri bonique Gustus indolem legesque ex instituto explicarunt, monita atque præcepta diligenter consulta, non contemnendum auxilium præbebunt (*).

(*) Inter quos præcipuum suo merito locum tuetur GERARD *Essai sur le Gout*, & HOME *Elem. of Criticism*, plures alios ut taceamus, e quorum præclaris operibus multum nos percepisse fructum, grati agnoscimus.

